



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Secundus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

perlativo gradu *maximam*; qui inter ea certi sunt, etiamsi suis operibus, utpote femper imperfectis nihil apud Deum mereri possunt, cujus respectu Deus ipsis sit debitor, & quod jure ab ipso liceat postulare, tamen dum fidem operibus charitatis erga Deum & proximum non mortuam vel hypocriticam, sed vivam & sinceram esse pro viribus auxilio inhabitantis Sancti Spiritus ostendunt, sperant & expectant à DEO promittente æternam beatitudinem Christi solius merito partam, & magis atque magis in cursu bonorum operum progredi student, donec omni imperfectione finita eum facie ad faciem intuebuntur, qui est omnia in omnibus. Cætera, quæ Bellarminus porro habet de requisitis & conditionibus Meriti, nominatim de *libertate Arbitrii* ad id necessaria, de statu *adoptionis*, promissione DEI, *charitate* tanquam fonte bonorum operum, distinctione item meriti *ex congruo* & *ex condigno*, atque hoc tam ratione pacti, quàm ratione operum ipsorum, divina etiam liberalitate in remunerandis operibus bonis *supra condignum*, & quæ porro his adnectuntur, quia non Evangelicis primariò sunt opposita, utur non rarò censuram ex Augustino mereantur, sed ipsi fratres Cadmæi inter semetiplos variè discutunt, ac Bellarminus in primis contra *Michaelem Bajum*, *Guilielmum Altisiodorensem*, *Durandum*, *Vegam*, aliosque prolixius disputat, lector quoque judicio non planè nullo præditus ex antecedentium controversiarum examine non adedò difficulter possit observare, quorsum Augustini sententia propendat, ad finem operis properantes, nunc quidem innocenti prætermittimus silentio, respicientes sequentia de bonis operibus in particulari.

CONTROVERSIÆ PRINCIPALIS TERTIÆ & ult.

DE BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI LIBRI SECUNDI CAPUT SECUNDUM & seqq.

DE JEJUNIO,

Prætermittitur non immeritò liber primus de *Oratione*, utpote in quo non adedò multa occurrunt, quæ controversa possunt videri, iis tantum exceptis, quæ *horarum canonicarum* attinent antiquitatem, & in capite post decimum tertio leguntur, in quo tamen non nisi paucissima ex Augustini sermone quodam de Tempore verba exhibentur, de quibus autem, quia ad tempus quadragesimale pertinent, in præsentis quæstione de *jejunio* agitur. Cæterum ne horæ canonicæ à nobis omninò videantur damnatæ silentio, sufficiat lectori indicasse, actum de iis esse, utur breviter, in *Vindiciis Anti-Thomisticis*, ex quibus potest constare, eas hodie defendi debere, non tam contra hæreticos, quos communiter vocant, quàm quos sub finem antecedentis controversiæ dixi, fratres Cadmæos, qui, uti in cæteris quæstionibus non paucis, ita in hac etiam non desunt, negotium canonicis regularibus facientes, ne officium hoc cum beneficio amittant, sed utrumque conservetur in integro atque saluum. Producti sunt ibi *Hurtadus* & *Sinnichius*, contra *Bonartium* & *Caramuelem* hoc negotium seriò urgentes, atque horarum canonicarum conservationi omnibus modis incumbentes. Idem præter illos egit *Bonetus*, ordinis Prædicatorum Scriptor hodie celeberrimus, qui tertio Clyperi *Theologiæ Thomisticæ*, contra novos ejus impugnatores tomo peculiarem inseruit de *Conscientia probabilis*, vel opinionum à non paucis receptarum *probabilitate* vel *improbabilitate* dissertationem, inque ea præter alia dicti *Caramuelis* sententiam, quam in *praxi* *valde periculosum* censet, prolixo & rigoroso exposuit examini. Præprimis autem severiori stylo contra hos horarum canonicarum hostes nuper invecus est Cardinalis *Bona*, sub initium operis de *Psalmodia* mentionem faciens quorundam *Anonymorum*, de quibus scribit, quòd *ementito Theologorum nomine, ut facilius deciperent simplices, ausu fuerint publicam horarum canonicarum recitationem irridere & calumniari, agentes supervacua esse tot officia, ad honestam dumtaxat religionum, otio alioquin & inertia languentium, occupationem* (potuissent addere sustentationem) *ad inventa, cum in Ecclesiæ utilitatem, in studia literarum, in præstantissima charitatis opera diu noctuque incumbentibus non opus sit tantu & Psalmodia; post censuram latis acrem addens, electarios tant à inemperie Ecclesiasticum irridere cantum non miror, solenne illis est omnem pietatis speciem* (verè speciem, eamque satis speciosam) *omnemque religionis Majestatem* (pompam scribere debuit externam) *evertere. Actiniter Cathol-*

§. 79. &
seqq.

eos, inter eos, qui se nuncupant Theologos, homines reperiri, qui ritus Ecclesie antiquissimos, qui sanctissimam psallendi disciplinam, si non omnino tollere, at falem ejus dignitatem minuere, præstantiam elevare conentur, profecto non crederem, nisi typis vulgatae scriptioes id evidenter ostenderent. Iterum post aliqua exclamabundus scribit, *Ve seculis retractis, que istos non tulerunt Theologos, ut Ecclesiam admonerent, ne tot canibus & prolixis precibus fatigaretur. Sed parco verbis, inquit porro, latitant, quia male agunt, adversarii, nolo cum larvis, aut instar illius apud Homerum cyclopi cum nemine luctari.* At, ò bone Bona, cui genus nominis foemineum antehac obfuit, ne bonus fieres aut esses Pontifex; non ita latitarunt Scriptores, qui vocantur Catholici, horarum canonicarum hostes, ut non in publicam prodierint lucem. Non *anonymi* tantum eas impugnarunt, sed & nominibus suis in orbe erudito cognitissimi; adeoq; non cum larvis, multò minus cum nemine tibi pugnandum fuisse, si rem hanc serò, & non *criticè*, magis tractare libuisset. Facile nimirum divinare potuisti, etiam si nullius adversarii nomen fuisset apertum, ex qua officina hæc contra horas canonicas gravamina & accusationes prodierint, si inter cetera societatis Lojola privilegia hoc etiam ad animum vocasses, quod in *Vindiciis Anti-Thomisticis* supra memoratis è corpore *constitutionum* legitur adscriptum. Neque de cetero hoc negotium contra horas hæc canonicas ita in occulto est agitatum, ut non Scriptores sua in aperto prodiderint nomina. Ipse *Bonartius*, contra quem nominavi *Hurtadum*, horarum canonicarum defensorem, tibi non fuit aut esse potuit ignotus, quia eum in *notitia authorum*, quam citato operi de *Psalmodia* cum sale critico, ut plurimum aliunde desumpto, conspersam novo quodam, uti vis videri, instituto præmisisti, aliquem habere locum voluisti, & quidem cum elogio *Viri docti*, minimè id facturum, nisi ejus aliquam electione libri vel operis, quod laudas, de *horis canonicis* notitiam habuisses. Cur ergo non cum hoc Viro, uti vocas, docto in gratiam horarum canonicarum, quas impugnat, ad imitationem *Hurtadi* manus consecrasti, laudem non exiguam inde reportaturus, si quæ is opposuit, rationibus validis elusisses, atque institutum tam pium, tam antiquum pristino nitore atque æstimo contra iniquitatem accusatorum instituisse, gratias quoque non parcas meriturus ab iis, quorum interest quàm maximè, ne officii hujus vilipendium aliquam beneficii, quo fruuntur, detractioem & imminutionem post se trahat inevitabilem. Sed neq; *Caramuel*, qui hæc cum Lojola sociis causam habet communem, adeò hæcenus latitavit in obscuro, ut non Theologia ejus *fundamentalis*, præsertim ubi eam Romæ ante annos plus-quam viginti in non paucis retractare & recognoscere est coactus, à plerisque eruditorum fuerit lecta, à multis etiam correctæ, quod non ita pridem quoad potissimam partem à *Iohanne de Cardenas*, Hispalensi, non sine multorum applausu, quibus dominium, quod in Theologia videbatur exercere *Caramuel*, cæpit esse suspectum, nec etiam sine aliquo laudis ob eruditionem detrimento fuit tentatum, & ante hunc à *Crispino Borgia* etiam, utut contra hujus objectiones *Caramuelem* susceperit defendentem *Franciscus Verde*, Professor Neapolitanus, nihil aliud tamen hoc meritis officio, quàm ut indici librorum Romæ prohibitorum infereretur. Cur autem bona horum & plurium aliorum, qui *Anti-Caramueles* scripserunt, nominatim *Sinnichii* & *Boneti* exemplo in hac quæstione serram reciprocationis cum *Caramuele* ad asserendam horarum canonicarum divinitatem trahere duxerit inconsultum, quod tamen instituti ratio poscere videbatur, nostrum est minimè, prolixius discutere. Forsitan, quod supra jam innui, Critici, quàm disputatoris partes maluit agere, quod in *Liturgiis* et ab eo fuit observatum, Controversiam de *Pane azymo* à non nemine intentatam amolito studiosissimè. Qui plures Fratrum inter se de *Horis Canonicis* & earum observatione pugnas legere desiderat, præter alios evolere poterit è recentioribus repudiatam *Diane* summam à *Cottone*, Professore Patavino scriptam, item quæstiones è Theologia Morali selectas *Matthæi de Moga*, Madatani, alteri Tomo Apologetici, quem *Honoratus Fabri* non ita pridem in gratiam doctrinæ Moralis iteratò edidit curavit, infertas, ubi varia occurrunt ad præsens negotium spectantia, alii cum Deo occasione ad accuratam discussionem reservanda.

Pergimus nunc rectà ad illud argumentum, quod Lemma præscriptum indicat, acturi de *jejunio*, quatenus illud sub operis meritorii, ab Ecclesia mandati elogio commendatur, & visuri, an idem Augustini tempore eodem modo fuerit in usu, & quid ad ejus mentem de eo sit sentiendum, ne contemptores temperantiæ, virtutis laudatissimæ videamur. Ante autem, quàm id fiat, ex more hæcenus ob-

Tract. 17.
in Johan.

Epist. 86,
ad Casul.
& 118, ad
Jan.

l. 10. c. 31.

l. 30. c. 5.
l. 1. c. 31
& 33.

servato præmitti debent, quæcunque Bellarminus ex Augustino ad jejuniæ, quod defensum ivit, assertionem hinc inde collegit. Non potest autem non singulariter placere, quod de vera ratione jejuniæ statim sub initium ex Augustino monuit, *Magnum & generale jejunium esse, abstinere ab iniquitatibus & illicitis secum conparatibus. Item docere Scripturam generale jejunium non tantum à concupiscentia ciborum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.* Et dum de hoc jejunio se non disputare fatetur Bellarminus, simul agnoscere videtur, sibi non curæ esse jejunium Biblicum, & quod Augustinus exinde commendat, sed quod præter, modò ne etiam contra scripturam, post Augustinum humanâ autoritate fuit obrutum, sed & vi aliqua intrusum. Neque etiam Evangelicis obest, sed potius non parùm contra superciliosos jejunii minimè jejunii jactatores prodest, cum Bellarminus Lemma secundo capiti præscriptum, *unicam in jejunio refectioem, eamque cenam esse debere, non prandium;* di- plici testimonio Augustini confirmavit, quorum priori disputans Doctor sanctus de jejunio sabbathi, *non prandere passim accipit pro eo, quod est jejunare, & contra non jejunare, pro eo, quod est prandere;* posteriori autem dicit, *horam solvendi jejunium esse nonam, quia hoc & familia plura, de quibus ex Augustino in sequentibus fiat mentio, satis indicant, quàm diversa ratio jejunii olim fuerit, quam nunc, ipsomet etiam agnoscente Bellarmino, dum ad hanc ipsam objectionem à Chennitio factam inter alia respondit, determinationes ejusmodi rerum, quæ non habentur ex jure divino, post se per legem Ecclesiasticam vel consuetudinem pro locorum & temporum diversitate ita variari, ut quod uno tempore vel loco non licet, alio tempore vel loco liceat.* Nam addit Bellarminus, & apud Veteres in Quadragesima quædam Provincia horâ nonâ solvebant jejunium, alia non nisi sub vesperam; in quibusdam locis sabbatho jejunabatur, in aliis prandebatur, & multa hujusmodi refert Augustinus in Epistola citata. Ita ex Evangelicorum mente scripsit Augustinus, quod ex opere confessionum citat Bellarminus, *Non immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis.* Tollatur ergo hæc, nec illa locum habebit. Insuper quæ ad demonstrandam, Abstinentiam à cereis cibis, ac potissimum à carnibus, pertinere ad rationem jejunii, videlicet Papistici, & non uno Patris augustissimi librorum habet Bellarminus, non id docent, quod docere debebant, ut examen satis luculenter ponet ob oculos, nimirum dicere tam in opere contra Faustum, in Quadragesima usum carniæ cessare, & in opere de Motibus Ecclesiæ, apud multos Anachoretas continua per totum annum fuisse jejunia & à vino atq; carnibus abstinentiam; Iterum eodem contra Faustum opere, *finem jejunii esse, corporis concupiscentias domare, & in servitutem redigere,* talia sunt, quæ negotium hoc exhauriunt minimè, & à jejunio, quale apud Papistas laudatur, plurimum abluunt. Præ omnibus aliis autem totus noster est locus Augustini, quem ex Epistolâ superius laudatâ ad Casulanum profert Bellarmin. ut ostendat, *jejunium in genere præceptum esse divina lege.* Ita legitur ibidem; *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque Instrumento, quod adpellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse Jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum, non invenio definitum.* Ut mirum non immeritò videatur, quâ potuerit Bellarminus à se impetrare, ut hunc Augustini locum exscriberet, utpote sibi met ipsi quam maxime contrarium, dum Jejuniæ certum tempus expressâ Lege Christi & Apostolorum agnoscit destitui, quod Evangelicorum Sententiam quam maxime confirmat. Nec quidquam juvat Bellarminum glossa, quâ hujus testimonii sensum satis in se perspicuum obscurare nititur, quasi Augustinus, cum Jejunium in sacris Literis Evangelicis & Apostolicis dicit esse præceptum, *sine dubio non loquatur de Temperantia & sobrietate,* alioquin dicere eum non potuisse, Christum & Apostolos non definitum, quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, certum esse enim, *semper esse vestendum temperatè, & nunquam oportere intemperanter cibum sumere.* Subjungit, quare in eâdem Epistolâ idem Augustinus Jejunium distinguens à Temperantia inquit, *Aliud est, gravare corda in crapula & ebrietate, quæ semper est malum, aliud autem, Modestia & temperantia custodit à relaxare Jejunia.* Et in eâdem Epistolâ addit, *non solere à Christianis die Dominicâ jejunari, neque à Pascha ad Pentecosten per totos dies quinquaginta.* Quis autem credat, porro Bellar. scribit, eum voluisse dicere, non solere Christianos diebus Dominicis & per Quinquagesimam Paschalem *sobriè ac temperanter vivere?* Quis enim nescit in libris N. Fœderis versatus præter Virtutem Temperantiæ Jejunium quoque commendatum & præscriptum esse? Sed non immeritò quaritur, quale illud fuerit, an

an Papisticum, id est, abstinencia à Carne tantum & ab iis, quæ ad eam referuntur, & an sub ratione Meriti alicujus, quasi Jejunium in se sit opus meritorium & pro peccatis jam commissis satisfactorium? Hoc certè Aug. nunquam venisse in mentem, è postmodum dicendis adparebit, ubi idem testimonium ab alia Bell. glosa erit vindicandum. Interea cum Bell. plus ultra eundem, qui porrò demonstrare conatur, Ecclesiasticà lege fideles in conscientia obligari ad certam quadam Jejunia & ciborum delectum, ad cuius thesèos demonstrationem è Novo Testamento adducit Concilium Apostolicum, utpotè quod omnibus Christianis interdixerit usum ciborum quorundam, ut sanguinis & suffocati, non quidem continentia caus. sed ut facilius Ecclesia è Judæis coalesceret, dum ad tempus jussa fuerint gentes abstinere ab iis cibis, è quibus Judæi vehementer abhorrebant, ista docente Augustino in opere contra Faustum superius citato, Bellarmino hanc facient eadplicationem: Quemadmodum igitur Apostoli propter bonum finem certos prohibuerunt cibos, quos alioquin Deus non prohibebat, cur quæso non possent, qui Apostolis succedunt, jejunia indicere & certos quosdam cibos prohibere ob alium finem bonum, nimirum ad petulantiam Carnis cohibendam? Post illud inter cætera Patrum testimonia, quibus præscriptam thesin firmare nisus est Bellarminus, sequentia etiam Augustini verba ex opere sermonum de Tempore adduxit: *Aliis diebus jejunare, remedium est aut premium; in Quadragesima non jejunare, peccatum est.* Ad didit ex libro de hæresibus, tum inter errores Arrii numerasse, quod diceret, *Jejunia indicta ab Ecclesia servari non debere.*

Ex argumentis, quibus Evangelici contra Jejunii præceptum & ciborum delectum utuntur, secundum est desumptum è Christi verbis, quibus hominem non inquinari per id, quod per os intrat, docuit; cui hoc responsum opposuit Bellarminus, loqui Dominum de cibo & potu non quocunque modo, sed uti res sunt corporales, quæ ex suâ naturâ non possint animam, quæ spiritualis est, inquinare, quamvis ratione adjunctæ concupiscentiæ aut inobedienciæ possint facile, ita iterum docente Augustino in opere de Moribus Ecclesiæ, ac voluisse Dominum his verbis Judæorum superstitionem reprehendere, qui existimaverint, cibos illotis manibus sumtos contrahere nescio quas sordes, quibus animæ etiam inficerentur, & cibos quosdam propterea fuisse prohibitos à Deo, quod immundi essent suâ naturâ, cum tamen DEUS eos prohibuisset non ob immunditiam naturalem, quæ nulla sit, sed ob certam significationem rerum vel præsentium, vel futurarum. Quartum ex sequentibus Apostoli verbis deducitur; *Si mortui estis cum Christo ab hujus mundi elementis, quid adhuc decernitis, ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne contrectaveritis, quæ omnia sunt in interitum ipso usu secundum præcepta & doctrinam hominum?* Bellarminus respondet, Apostolum loqui in toto ipso loco de Ceremoniis legalibus, nec posse Ejus verba, nisi per impudentiam summam, ad Ecclesiæ leges de ciborum delectu detorqueri, & Hieronymum, à quo non dissentiat Augustinus, disertis docere verbis, illud, *Ne tetigeris, neque contrectaveris*, significare, *Ne tetigeris cadaver hominis mortui, neque sedem aut lectum Mulieris menstruatæ; illud autem, Ne gustaveris, referendum esse ad Carnem suillam, leporinam & alios cibos Leviticâ lege prohibitos.* Quintum & præcipuum est ex ejusdem Apostoli verbis, quibus hoc Vaticinium edidit de novissimis temporibus, quod discessuri quidam sint à Fide, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos creavit Deus &c. Bellarminus respondet, Apostolum damnare hæreticos omnes, qui cibos ut per se immundos prohibeant, ac præsertim Marcionitas, Enekratitas & Manichæos, inter alia his etiam Augustini verbis ex opere contra Faustum prolatis in medium, quibus Manichæos ita legitur adlocutus: *Vos ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod Carnes Diabolus operetur seculentiore mali materia, ac per hoc eas tanquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes abjicitis.* Et iterum ex opere contra Adimantum itidem Manichæum: *In novissimis temporibus futuros quosdam dicit Paulus, prohibentes nubere, abstinentes à cibis, quos, creavit Deus; hos enim (Manichæos) propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, ut aut suam refrenent Concupiscentiam, aut infirmitati alterius pareant, sed quia carnes ipsas putant immundas & earum creatorem negant esse Deum.* Sextum denique argumentum respicit verba Christi, qui interrogatus à discipulis Phariseorum & Johannis Baptistæ, cur non suis Discipulis indiceret Jejunia stativa, quemadmodum Johannes Baptistæ & Pha-

Math. 9. Pharisei suis indixerant discipulis, respondit, filios nuptiarum hujusmodi legibus ad Jejunia adigendos non esse, additâ ratione, *vetustatem sive Disciplinæ legalis, ex qua Iohannes Baptista aliquid retinuit, sive traditionum humanarum, unde Pharisei jejunabant, non esse adjuendam novitati Evangelicæ, talem enim mixturam non prodesse, sed obesse.* Bellarminus inter alia respondet, Patres, & ex eorum numero Augustinum quoque in opere *Quæstionum Evangelicarum* & contra Faustum per *Vestimentum vetus* non intelligere præceptum Jejunii, sed ipsos Apostolos, qui eotempore adhuc erant veteres, id est, carnales & infirmi; per *adsumentum panni novi* intelligere præcepta Evangelicæ, quorum unum esse dicant de *Jejunio*, adeoque sensum hujus loci hunc esse, non esse præcepta Vitæ austerioris, ut Jejuniorum, abstinentiæ à certis cibis, & rerum similium veteribus & infirmis hominibus injungenda, quales tunc Apostoli & ceteri Christi discipuli erant, sed renovatis & fortibus, quales Apostoli post adventum Spiritus Sancti erant futuri. Inter Antiquitatis Ecclesiasticæ contra Jejunium Papisticum testimonia ex Augustino sequentia duo proponit loca cum responsionibus. Prius est illud ipsum, quo ipsemet Bellarminus antea usus est, ut demonstraret, *Jejunium in genere præceptum esse Divinæ Legæ, desumptum ex Epistolâ ad Casulanum*, quod omnino nostrum esse dixi. Bellarminus nihilo tamen minus habuit, quod responderet, ne tam illustre testimonium eriperetur, inquit, loqui Augustinum de præceptis Apostolorum scriptis, *non autem de traditis sine scripto*, deinde, etiamsi Apostoli nihil statuisset, scribit Bellarminus, num successores eorum nihil statuere potuerunt? *Posterius est ex opere contra Faustum*, ubi sic loquitur Augustus Doctor: *Christiani non solum à carnibus, verum à quibusdam terræ fructibus etiam abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam omnes ferè, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu poterit.* Bellarminus respondet, illud (*ferè*) significat, non omnes in Quadragesima à carnibus abstinere, quia multi excusantur vel ob ætatem, vel ob infirmitatem. Quod autem sequitur, *quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu poterit*, non refertur ad abstinentiâ à carnibus, sed à fructibus; sententia enim est, Christianos non solum à carnibus, sed etiam à fructibus abstinere, sed à pluribus vel paucioribus (nimirum) fructibus, prout voluerint vel poterint.

1. 30. c. 5.

Post hæc de fructibus & utilitate Jejunii agens Bellarminus, ubi illud *quarto* utile dixit esse ad satisfaciendum DEO vel ad placandum, provocavit ad sermonem Augustini sexagesimum de Tempore, ubi hæc leguntur, *Nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia jejunet.* Quia verò prævidit Bellarminus, objici posse, hunc sermonem fortasè Augustini non esse, addit, eundem Augustinum alibi, videlicet in sermone de *Utilitate Jejunii*, quem ipse etiam Possidius eidem tribuat, scripsisse, *responde Tentatori, ex crucio me plane, ut ille pareat, do de me panas, ut ille subtrahat, ut placeam oculis ejus.* Præterea quindò, ut ostendat, Jejunium utile esse ad merendum & impetrandum Beneficia DEI temporalia & sempiterna, inter alia *Parum* loca, è sermone ejusdem Augustini post sexagesimum secundo de Tempore, sequentia adduxit, *Jejunium est remedium aut præmium, hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cælestis acquirit.* Inter objectiones contra hos Jejunii fructus ponit ordine tertiam è verbis Pauli ad Timotheum monitoriis, *Exerce ad Pietatem, corporalis enim exercitatio ad modicum valet, Pietas autem ad omnia &c.* Responderet autem, duas esse hujus loci Explicationes, unam quidem Authoris Commentariorum, qui *Ambrosio* tribuuntur, quæ per exercitationem corporalem intelligat quiddam Jejunium, per Pietatem autem non cultum Dei propriè dictum, sed *Misericordiam in pauperes*, & velle hanc Explicationem, Jejunium ad modicum utile esse, nisi cum Misericordia & Eleemosynis conjungatur, idem docente *Chrysostomo*, Jejunium sine Eleemosynis nihil valere, quod intelligendum dicit Bellarminus, si Eleemosynæ faciendæ occurrat præceptum, & is, qui jejunat, tam avarus sit, ut nolit Eleemosynam facere etiam de eo, quod superest, & quod alias consumisset, nisi jejunare inilituisset, cum alioquin Jejunium cum Eleemosynâ conjungere non sit necessarium, quamvis utilissimum, quam ob rem præter alios Augustinus non jubeat, sed hortetur, ut *unusquisque Jejunii tempore prandium, quod ipse sibi subtrahit, eroget pauperibus*, ubi

1. Epist. 4.

scrm. 56

notandum, quod ipse Bellarminus Expositionem alteram, quam Chrysostomo & ceteris Interpretibus Græcis adscribit, veriore & planè ad Apostoli mentem esse dicit, quæ tamen, quia consensu Augustini destituitur, huc non pertinet.

tinet. *Quinta* obiectio est ex eisdem Apostoli verbis, quibus reprehendit Paulum & damnat factitias seu electitias religiones illas, quæ in cibis, qui ipso consumuntur usu, DEI cultum constituunt, & juxta traditiones hominum sub specie humilitatis & disciplinæ severioris non parcunt corpori, sed illud ita vexant, adfingunt & macerant, ut debitum honorem necessaria sustentatione & convenienti curatione ei non tribuant, atque in hac disciplinæ severitate cultum Dei constituunt. Bellarminus post alia respondet, aliam esse hujus loci expositionem apud Augustinum, scribentem, *notari ac reprehendi ab Apostolo illos, qui jejunare videntur non sine ratione, cum id videantur referre ad corpus castigandum & cor humiliandum, sed tamen revera non propter hoc potissimum, sed propter superstitionem, quâ videlicet sibi persuaserint, aliquos cibos suâ naturâ immundos esse; itaque ex Augustini sententia non reprehendi hoc loco, qui carni jejuniis adfingunt, & in ea re cultum aliquem, id est, opus Deo gratum constituunt, sed illos, qui ea de causâ videntur jejuniis operam dare, re autem verâ superstitionem suam per illam abstinentiam alere & augere conantur.* Epist. 19.

Epatribus inter alia sequentem Augustini locum contra jejunii finem supra commendatum ex opere contra Faustum producit, quo refellit delirium Manichæorum, *apud quos in magno erant honore, qui à certis abstinebant cibis, quasi abstinentia illa sit opus Deo gratum.* Verum respondet Bellarminus, Augustinum non refellere Manichæos, quod in magno honore haberent abstinentes à carnibus, sed quod putarent, *carnes sua naturâ immundas esse, idque eum probare, quoniam etiam si apud Manichæos soli sacerdotes à carnibus abstinebant, tamen plebi carni eius non tam ut illicitus concedebatur, quam ut illicitus indulgebatur.* *Auditoribus vestris, inquit, quos tanquam distinctus à genere sacerdotum dixisti, secundum veniam hæc eunda conceditis, neque enim conceditur secundum veniam, nisi peccatum.* Et infra, *Hoc animo, hæc voluntate, hæc opinione ab eis hujusmodi temperatis, quod non significatione, sed naturâ male & immunde sint.* Adde, scribit Bellarminus porro, quod Faustus non solum dicit, perfectos apud Manichæos à carnibus abstineri, sed etiam, apud Catholicos in magno haberi pretio, qui temper abstineant carnibus, sic enim loquitur Augustinus, *de vobis quid dicam, id est, de Christianioribus apud vos, quorum non nulli qui dem porcina, plerique vero quadrupedi omni, alii etiam cuncto animali penitus abstinent, fertque ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia, & summa cum veneratione suscipiens solum non Deos existimant.* Atque hoc testimonium non reprobare Augustinum, sed adprobare, perspicuum esse ex capite quinto monet Bellarminus. cap. 3.

His in genere dictis de jejunio, progreditur Bellarminus in speciem ad jejunium quadragesimale, in cujus deductione postquam ingenue agnovit, *semper variam apud veteres consuetudinem fuisse jejuniis videlicet quadragesimale, continuandi testimonio Augustini ex opere de moribus Ecclesiæ citato, tanquam sententiam veram in se suscepit defendendam, jejunium quadragesimale ab Apostolis Domini institutum, ac univ. l. 1. c. 33.* *verse Ecclesiæ traditum fuisse, ad demonstrandum illa etiam Augustini regula in medium prolata, quæ ut alibi, ita præsertim in opere de Baptismo habetur, Illa omnia sine l. 4. c. 24.* *dubio è traditione Apostolica descendere, quæ in universa observantur Ecclesiæ, & in nullo Ecclesiæ Concilio inveniuntur instituta; cui alia adjiciuntur locorum indicia, in quibus de jejunio Quadragesimali mentionem fecerit Augustinus, interque ea, ubi docuerit, ab ipso Domino indiciam Quadragesimam fuisse, hæc tamen addita distinctione, factum id in Ps. 110,* *esse non verbo, scilicet Mandati, vel etiam Promissionis, sed exemplo.* Quia autem huic demonstrationi scivit esse contrarium id, quod supra non semel ex epistola ad Casulanum de præcepti specialis defectu fuit observatum, repetit distinctionem de præcepto scripto & tradito, agnoscens, *nullum in libris divinis scriptum extare, atque non defendi Quadragesimam ab Apostolis scripto quodam præcepto, sed traditione non scripta institutam.* Hoc ut porro defenderet Bellarminus, præter alios hunc etiam Epist. 119, Augustini locum subjecit, scribentis, *Quadragesima juniorum habet auctoritatem & in c. 115,* *libris veteribus ex jejunio Moysi & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus jejunavit Dominus.* Addit ex eadem Epistola Augustini sequentia: *In qua parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Passioni Dominicæ?* Huic jejunio quadragesimali subjungit Bellarm. illud, quod dicitur *jejunium ferie quarta & sextæ, quo nullû esse aliud scribit, cujus post jejuniû Quadragesimæ major mentio invenitur apud Veteres, Augustino iterum post alios adducto ex modo laudata ad Casulanum.* Epistola, ex eadem subjungens veram hujus jejunii causam, scil. Domin. passionem, quæ

quæ per totum Annum his potissimum diebus commemoretur, quod nimirum feria quartâ proditus fuerit Dominus atque venditus, feria autem sextâ crucifixus & mortuus. Pôst duæ sequuntur apud Bellarminum de hoc Jejunio quæstiones, & prior quidem, *Sine illud lege sancitum, an potius in fidelium arbitrio positum*, inter alia ob eisdem Augustini verba, quæ in eadem Epistolâ ad Casulanum leguntur, scribentis, *Romæ frequenter jejunari feria quartâ & sextâ, &c.* ubi eum dicit, *frequenter*, indicat, non semper id fieri? ad quam Bellarminus respondet, eam ita solvendam videri, feria quartâ & sextâ per totum Annum jejunari ex præcepto legis, quoad abstinentiam à carnibus, quoad verò abstinentiam à prandio, quo modo Augustinus soleat nominare Jejunium, non ex præcepto legis, sed *passivè*, ut loquitur Tertullianus, hoc Jejunium cucurrisse. *Posterior* autem quæstio est, *cur in Ecclesia Latina non servetur Lex, quæ feria quartâ abstinentiam imperet à carnibus?* Ad quam etiam Bellarminus videtur respondendum, in Ecclesia occidentali mutarum fuisse magnâ ex parte Jejunium feriarum quartâ in Jejunium Sabbathi; quia tamen vidit obstare ejusdem Augustini verba ex eadem Epistolâ, testantis, *Romæ jejunari sæpè feria quartâ & sextâ & Sabbatho*, monuit ad ea, quod non dicat, *semper id fieri*, nec loquatur de particulari, sed de integro perfectoque Jejunio. Occurrunt itidem aliqua ex Augustiniano in sequenti Tractatione de *jejunio Sabbathi*, ut & de *jejunio quatuor temporum*, aliisque pluribus Jejuniorum speciebus, quæ in Ecclesia Romanensi adhuc hodie observantur, & à Bellarmino contra earundem contemtores defenduntur; quia verò non nisi ea repetuntur, quæ hætenus è citatis Augustini scriptis non semel adducta fuerunt, non opus est iteratione proluxa fastidium lectori creare, præsertim quia responsum ad antecedentia etiam sequentibus potest sufficere, modo Lectoris candor & iudicium accedat.

Ut igitur Examini solito subiciatur, quæ prolixius hucusque ad jejunium, quod in Papatu exercetur, commendationem ex Augustino protulit Bellarminus, præmittendum est omnino, & quam maximè notandum, quod ipse Bellarminus statim sub initium hujus controversiæ observavit, jejunii vocabulum non apud Græcos tantum significare omnimodam edendi cessationem, sed apud Latinos etiam ideò notanter dici *insidiam*, quia propriè indicat abstinentiam non ab unâ vel alterâ specie cibi, sed in genere ab omni cibo, & quodcunque hoc nomine venit, juxta receptum apud Authores sacros & profanos loquendi morem, quem non cuiusvis est mutare, aut vocabulis præsertim contra rationem Etymologicam novam adscribere significationem. Hoc jam præsupposito, uti etiam eo, quod idem Bellarminus supra nobis ultro largitus est, videlicet *variâ fuisse apud veteres rationem jejunandi*, eandemque, cujus momentum non nullum, sed maximum est, *liberari*, non solum tempore Quadragesimali, sed & quod cæteras jejunii circumstantias atinet, non erit difficile ad ea respondere loca, quæ ex Augustino hinc inde in suam rem collegit Bellarminus. Et quidem dum voluit demonstrare, *Abstinentiam à cæcis cibis, ac potissimum à carnibus, pertinere ad rationem jejunii*, uti Lemma capituli quinti habet apud Bellarminum, malè provocavit ad locum Augustini ex opere contra Faustum, qui præterquam, quod non modò usum carniùm cessare apud Christianos in Quadragesima testatur, sed etiam *terre fructuum quorundam*, ut alia nunc silentio tegam, quæ ad accuratiorem hujus testimonii pertinent considerationem, post hæc uberius adducenda, hanc à carnibus & terræ fructibus abstinentiam, quam prolixioribus descripsit verbis, minimè vocavit *jejunium*, aut vel verbulo indicavit, Christianos hanc abstinentiam pro jejunio verè sic dicto habuisse & haberi voluisse, omnium minimè autem eos Meritum vel Satisfactionem in eâ quæsisse, ut paulò post amplius dicitur. Alter locus ex opere de *moribus Ecclesiæ* huc omnino non pertinet, partim quia agit de *Anachoretis*, de quibus nunc sermo non est, sed de Christianis omnibus, quæ illos deceat jejunium, partim quoque, quia tale describit jejunium, quod non ad aliqua tantum anni tempora fuit destinatum, sed, uti Bellarminus ipse mentem Augustini expressit, per totius anni cursum ordine nunquam interrupto continuabatur, insuper etiam, quia fuit abstinentia à carnibus & vino pariter, quod alterum in Lemmate præscripto Bellarminus omisit, idq; non sine ratione, quia vix sibi hodie plerique in papatu abstinentiam à carnibus tam faciliter commendari sinerent, si potu *vini* etiam carere cogereatur, utpotè quod cum cæteris delicatioribus ex natura & artis promptuario cibis largiter compensat, quod *carnis privium* videtur auferre.

ferre. De classico, vel potius classicissimo ex Epistola ad *Casulanum* loco jam aliquid supra dictum est, & porro aliquid infra dicendum erit, ut à prava liberetur Bellarmini glossa, quibus clarissimo veritatis lumini tenebras obfundere laboravit. Pergimus igitur ad eam thesin, quã demonstrandum in se suscepit, *Ecclesiastica Lege fideles in conscientia obligari ad certa quadam jejunia & ciborum delectum*, inter argumenta eam confirmantia provocans etiam ad Concilium, uti vocatur Apostolicum, Act. 15. Augustino rationem indicante, cur sanguis & suffocatum fuerit prohibitum, noviter è Gentilismo ad Christum conversis, quam nuper celebris quidam Theologus Giesfensium in peculiari exercitatione de *Licentia sanguinis escari inter Christianos* contra celebrem quendam Medicum ivit adsertum, ac nos etiam opinò hic admittimus, ad mentem videlicet *Augustane Confessionis*, cujus in ultimo de Abusibus ita dicitur articulo hæc sunt verba: *Apostoli jusserunt abstinere à sanguine. Quis nunc observat? Neque tamen peccant, qui non observant; Quia nec ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare Conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum.* Quam impertinenter autem Papæ ab hoc Apostolico precepto, vel potius prohibito ad abstinentiam à carnibus argumententur, à Scripioribus Polemicis dudum est offensum, neque id repetere præsentis est instituti & loci. Testimonium è sermone post hexagesimum secundo de Tempore, quo eandem in Conscientia obligationem ad certa quadam jejunia & ciborum delectum firmare laboravit Bellarminus, non immerito cum toto sermone suspectum est, ea nimirum exhibens, quæ aliis Augustini scriptis non obscure contrariantur, illis nominatim, quæ supra ex opere contra Faustum, ex Epistola ad *Casulanum* fuerunt ab ipso Bellarmino adducta, quorsum inservient etiam, quæ infra ex Epistola ad *Januarium* prolixius erunt adducenda. Quo enim modo dicere aut scribere potuit Doctor augustissimus, non jejunare in Quadragesima peccatum esse, qui alibi hoc jejunium liberæ adscripsit voluntati, aperte testatus insuper, id nullo in sacris literis præcepto definitum esse? Certè hæc talia sunt, quæ ex unius Doctoris libi & veritati constantis pennâ fluere non poterunt, nisi in *retractionibus* suam mutasse mentem indicaverit. Adde, ea in hoc sermone sub Augustini nomine legi de illius temporis jejuniis, quo is dicitur aut scriptus fuit, quæ ad jejunium, quale apud Papæos hodie in usu est, quadrat minimè. Scilicet non commendat Author ille abstinentiam à carnibus tantum, sed tale jejunium, quod per Quadragesimam tempore prandii omnem cibulum denegat, *exceptis diebus Dominicis*, nisi forte aliquem jejunare infirmitas non permittit; à quo rigore jejunatores Papæi procul sunt remoti, qui non facile imprænsi horas præstolantur vespertinas, sed ut plurimum solis occasum intuentur oculis vino madidis & calefactis, ventre etiam pitcibus non de vulgo, sed generosioribus, ac variis ab arte coquinaria condimentis, & uti communiter vocant, confecturis ita repleto, ut carnibus ad tempus aliquod facile possit carere. *Arri* hæc res, quam Bellarminus hic obrudit Evangelicis ex Augustino, huc non pertinet, si consideretur diversitas temporum, & hinc etiam diversa ratio juniorum, superius jam ipso judice Bellarmino non obscure insinuata. Si namque jejunia in illis perstitissent terminis, quibus Ecclesia observavit tempore Augustini, absque conscientiarum violenta captivitate & obligatione, nec contra libertatem Christi merito partam, sine etiam respectu meriti & satisfactione, qui eidem merito Christi non parum fuit visus adferre præjudicii, si alia non accessissent, quæ rem in se satis bonam & laudabilem insigniter deformarunt, nominatim detestanda hypocrisis, ob quam Christus quoque antehac Phariseorum jejunia cum orationibus eorum & eleemosynis ad externam speciem tantum factis reprobat, Lutherus cum cæteris testibus & confessoribus veritatis Evangelicæ non habuissent causam, cur hoc etiam nomine Papatum ob jugum cervicibus humanis impositum, tyrannidemque in Ecclesia exercitam accusarent publicè, ac dudum pluribus votis desideratam in hoc etiam capite cælestis doctrinæ emendationem tam instanter urgerent, nihil planè cum *Arrio* habentes commune, ut instituta comparatio luculenter ostendit, ab aliis dudum præoccupata, ut hic solennes ferias liceat celebrare, easque non efuriales, sed lætas, ob rem videlicet non malè, sed optime contra iniquos accusatores in hac etiam controversia gestam, & porro sub clypeo veritatis gerendam. Hæc sunt pertinent nunc vindiciæ argumentorum, quibus utuntur Evangelici contra Papisticam in observatione juniorum superstitionem. Ex eorum serie, quateus Augustini intercedit autoritas, secundum exhibet Christi verba de negatâ cibi in os intrantis iniquatione, quæ Bellarminus cum hoc moderamine putat intelligenda, ut nominatim excipiatur respectus *inobedientia & concupiscentia*, ad Augustini consensum ex opere de *Moribus Ecclesiæ* provocans. At sicuti in Testamento Veteri exceptionem *inobedientia* quoad veritos ab ipso met. Deo cibos facile largimur, in Novo etiam nullatenus excessum ab inordinata *concupiscentia* in turpi abusu cibi & potus approbamus, sed potius quam maxime detestamur, non ignari, eum non modò corpus, sed animam quoque & potissimum inquinare ac obruere, inutilem insuper facere ad quævis opera pietatis Deo ex debito præstanda; ita planè aliter Augustinus hæc applicavit verba, et si integrum perpendamus textum, non in favorem Bellarmini, sed potius Evangelicorum. Descripsit nimirum jejunii observationem suo tempore usitatam, & inter Anachoretas, & inter Clericos in civitatibus degentes. De Anachoretis ante vidimus, de Clericis ut ita dicam Civitatensibus ac eorum jejunii in urbe Roma hæc habet inter alia: *Jejunia etiam prostris incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, (an hodie etiam, fortè non præter rationem vocatur in dubium,) sed continuum triduum vel amplius sepius sine cibo ac potu ducere; neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis.* Post aliqua notanter subjungit: *Arque inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest. Nulli, quod recusat,*

vid. Brück.
h. loc.

Matth. 15.

imponitur; nec ideo condemnatur à ceteris, quod in eis imitandis se faceret invalidam. Memnerunt enim, quanto opere scripturis omnibus commendata sit charitas; meminerunt, omnia mundi munda & Non, quod intrat in os, coquinat, sed quod exit; Itaque, quam observationem egregiam addit Doctor sanctus, non rejiciendis ciborum generibus quasi pollutis, sed concupiscentia perdomanda & dilectioni fratrum recinenda invigilat omnis industria. Huc refertur merito discrimen illud, quod enarrationi in Psalmum ordine decimum inseruit Augustinus, indicans, quam diversimodè hæc Christiani verba vel lecta vel audita excipiantur & intelligantur, hisce verbis: *Audit hoc peccator, & gulam parat voracitati. Audit hoc justus, & à ciborum discernendorum superstitione munitur.* Nulla hic utrobique mentio inobedientie, sed vel concupiscentiæ & voracitatis, vel superstitionis, inter quæ duo extrema tanquam scopulos Navis Evangelica quasi media vehitur via, ne vel à concupiscentia & bonorum ad necessariam vitæ sustentationem divinitus concessorum turpi abusu ex una, vel à superstitione per legum humanarum præ divinis æstimationem & cæcam observationem ex altera parte aliquod incurrat periculum, sed rectà tandem in portum veræ & plenæ libertatis ad eum feratur, qui ad hanc generi humano reimpetrandam ultrò & spontè servus est factus, & restitutor æternæ libertatis benignissimus. Quartum succedit argumentum, quod verba ex Epistola Pauli ad Colossenses suppeditant, in quorum explicatione Bellarminus aliam planè Augustino adscribit sententiam, quam in laudata ad Paulinum Epistola legitur. In ea enim indicaturus Apostoli mentem quoad verba eorum, contra quos præmunitur voluit fideles, ita scripsit: *Per irrisionem verba posuit eorum, à quibus eos volebat decipi atque seduci, qui discernentes cibos secundum culturam Angelorum, atque ita de hoc mundo decernentes dicunt. Ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne attaminaveritis; cum sint omnia mundi munda, & omnis creatura DEI sit bona.* Et post plura ibidem, *Non vult Apostolus eos in observationibus judicari, ubi dicitur: Ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne attaminaveritis; quæ sunt omnia, iniquè ab his abstinetur, ut eis homo abutatur, id est, non eis utatur, secundum præcepta & doctrinam hominum.* Falsus igitur est Bellarminus non parum, quod Augustinum iis junxit interpretibus, qui de ceremoniis in V. T. legalibus hæc Apostoli verba sunt interpretati, quod ex adductis ejus verbis est manifestum, nec opus est prolixiori ostensione. Quintum ergo sequitur testimonium, idem Apostolicum, de doctrina demoniorum, quibus accenset etiam prohibitionem ciborum à DEO creatorum, & cum gratiarum actione accipiendorum, Bellarmino ex Augustini scriptis duo objicente loca, quibus hoc Pauli oraculum in Manichæis, carnes pro re immunda habentibus, impletum esse monuit. Nos tria reponimus bene ponderanda, ut quid de hujus oraculi sensu vero statuendum sit, Lectori veritatis studiose pateat. Primum est, in hoc negotio non multum dissimiles Manichæis esse Papæ, si verum habeatur, quod ante hæc quatuor secula Durandus, Miazensis Episcopus, in Rationali scriptis irrationali, judice tamen Cardinali Bona superius adducto, in Notitia Scripturum Psalmodia præmissa, omnibus Ecclesiasticis necessario, legitur de hæc re scripsisse, dignum, quod hic etiam habeat locum, quia liber non est in omnium manibus. Ita autem quærit officiorum, uti vocat, divinatorum 1.6.c.7. explicator: *Cum pisces sint caro, quare hoc tempore, jejuniis scilicet sacro, pisces comeduntur? Et respondet, Deus non maledixit aquis, quoniam per aquam Baptismi futura erat remissio peccatorum, Hoc enim elementum dignissimum, quod sordes abluit, & super quod Spiritus Domini ante mundi constitutionem ferebatur, terra vero maledixit in operibus hominis. Inde est, quod omne genus carnis, quod in terrâ versatur, tam quadrupeda, quam aves, in jejuniis non licet comedere &c.* Videant officiorum, qui vocant, Divinorum executores, an bene rationem carnis privii, reddiderit Durandus, & si ita, annon aliqua ex parte sapiat Manichæismum, subque eo ex Augustini sententia Paulus hujus etiam jejunii commendatores intellexerit. Secundum est, quod idem Pater factus in altero, quem Bellarminus citavit loco, scilicet in opere contra Adimantum, ubi verba Apostoli de Manichæis explicavit, sequentia ex mente Ecclesiæ orthodoxæ subjicit: *Nos teneamus Apostolicam Disciplinam, dicentem, quod omnia mundi sint munda, servata moderatione Evangelica, ut non graventur corda cruditate & vinolentia & curis secularibus.* Si ex præcepto universalis Ecclesiæ certa quædam jejunia & ciborum delectus cum obligatione Conscientiæ fuissent necessarij, aliter planè Augustinus scribere debuisset, ac reverà scripsit. Ita autem expressit Ecclesiæ sui temporis mentem, ut Evangelici hodiè ambabus quod ajunt manibus amplectantur, & suo etiam nomine hæc scripta putent, minimè autem nomine Papistarum, quibus ea nullo planè modo competant, quod constat. Tertium est, quod Eribius, interpres apud suos æstimatissimus, expressè ad hæc Apostoli verba observavit, eum non ad remotiora solum tempora, sed etiam ad proxima respexisse. Et postquam nomina hæreticorum recensuit, ad quos respexisse Paulum existimavit, hæc porro addidit, hos atque alios ejusdem temporis hæreticos ab Apostolo prænuntiatos hoc loco fuisse, plusquam est verisimile, tamen si valeat ejus doctrina ad condemnationem omnium sequentium, qui similia docuerunt, quidni & eorum, qui adhuc docent, & post hæc quoque ad mundi finem usque docebunt, nominatum, ut secundum partis adversariæ hypotheses hoc jungam, qui tempore Antichristi illius magni erunt, quem Papicola cum Messia Judæorum præstolantur? Sextum denique argumentum exhibet verba Christi, rationem jejunii à discipulis intermissi reddentia, quibus necessitas jejunii à Joannis Baptistæ discipulis & Phariseis, quasi ex lege observati tollitur, tanquam ad novam Evangelii legem impertinens, quam objectionem Bellarminus quidem iterum duplici testimonio Augustini conatur eludere, sed frustra & in vanum, ut textus eorum, quem Bellarminus libenter, uti sepius factum,

1. Tim. 4.

Matth. 9.

factum, omisit, hic integer adponendus indicabit. Prius est ex opere Quæstionum Evangelica- L. II. c. 18
rum, ubi sequentia leguntur: *Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio. In tribulatione ad
propitiandum Deum pro peccatis in gaudio, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium
major est sagina. Cum ergo Dominus esset interrogatus, cur ejus discipuli non jejunarent, de utroque
respondit. Nam ad illud, quod in tribulatione solet jejunari, pertinet, quod ait, Sponsi filios, tunc jeju-
natos, cum ab eis ablatus fuerit Sponsus, tunc enim desolabuntur, & in merore erunt ac luctu, do-
nec eis per Spiritum sanctum gaudia retribuatur consolatoria, quo dono percepto etiam jejunii genus
alterum, quod fiet per lætitiā, jam renovati in vitam spiritualem convenientissimè celebrabunt. Quod
autē, quā accipiant, dicit eos (esse) tanquam vestimenta vetera, quibus inconvenienter novus adsuitur
pannus, id est, aliqua Doctrina particula, quæ ad nova vitæ pertinet temperantiam; quia si hoc fiat, &
ipsa quodammodo scinditur doctrina, cujus particula, quæ ad jejunium ciborum valet, importunè tra-
ditur, cum illa doceat jejunium generale, non tantum à concupiscentia ciborum, sed ab omni lætitiā de-
lectationum temporalium, cujus quasi pannum, id est, partem aliquam, quæ ad cibos pertinet, dicit non
oportere hominibus adhuc consuetudini veteri deditis impertiri, quia & illinc, quasi concisio videtur
fieri, & ipsi non conveniunt veteri. Addantur sequentia, & adparebit, jejunium, de quo Christus
ex Augustini sententia hic agit, ad jejunium Pharisaico-Papistico, quod illud fuerit in abstinentia ab omni cibo, hoc autem
à carne tantum, utrumque autem opus supererogatorium & meritorium ex condigno. Posteris
testimonium citavit Bellarminus, ex opere Augustini contra Faustum, sed contra seipsum. Respon-
dit nimirum Doctor Augustinus adversario Vetus Testamentum repudiandi, ob hanc inter alias cau- 1. 8. c. 2.
sam, quia Christus dixit, *Pannum novum nemo adsuit vestimento veteri* &c. ubi præter cætera hæc
etiam habet. *Non pannum novum vestimento veteri adsuimus, sed erudimur in Regno Cælorum ad
similitudinem illius Patris familie, quem commemorat Dominus profertem de thesauro vetera &
nova; ille autem adsuit pannum novum vestimento veteri, qui continentiam vult habere spirituales,
& non dāum deposuit ssem carnalem.* Et postquam Christi verba cum aliquā explicatione, ac ad A-
postolos adplicatione proposuit, notanter hæc subjunxit: *Attendite in illa phantasia vestia de Regno
DEI, unde istam solis lucem carni conspiciam, tanquam ad exemplum vobis propositam diligite &
adoratis, quam carnalem spem geratis, & invenietis jejunia vestra, quomodo prudentia carnis tanquam
vestimento veteri adsuuntur.* Perpendant hæc accuratius hodierni jejunatores superciliosi, & ob-
servabunt, non planè nihil esse in his Augustini verbis, quod sibi etiam possint dictum vel scriptum
existimare. Ad ea nunc testimonia nos conferimus, quæ Evangelici contra jejuniorum præscri-
ptam necessitatem solent urgere, in primis duo illa ex Epistola ad Casulanum & opere contra Fau-
stum, quæ videntur præ aliis pluribus potiora, à falsis Bellarmini glosis breviter vindicanda. Et
quidem ad prius duo reponit, *num*, loqui Augustinum de præceptis Apostolorum scriptis, non tra-
ditis sine scripto. At, si hanc distinctionem Doctor sanctus in animo habuisset, non video caulam,
cur eam non expressisset. Quia insuper in genere scripsit, quibus diebus non oporteat jejunare, &
quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum se non invenire definitum, hoc discrimen se
jam non attendere ostendit manifestè, si expressisset præcepti alicujus scripti mentionem, posset
hæc exceptio habere locum; non item, ubi omnis præcepti defectum clarè indicavit. Accedit, quod,
dum in priori parte Testimonii agnovit, *præceptum*, lato nimirum sensu, vel potius commendatum
esse jejunium Evangelicis & Apostolicis literis, si tempora jejunii traditione Apostolica fuissent de-
signata, Pater augustus minime fuisset omisurus id indicare. Verum non potuit id facere, quia
hæc traditio adhuc inter apocrypha fuit illo tempore, & reservata ad seculorum posteriorum apoca-
lyptin. Sed opus non est, hoc prolixius urgere, quia Bellarminus ipse huic priori responso diffusus
de altero fuit sollicitus, provocans ad auctoritatem Ecclesiæ legislatoriam, per quam etiam si nihil
statuissent de jejunii tempore Apostoli, Successores eorum putat habere potestatem illud definien-
di, de qua autem quia suo supra loco fuit actum ex Augustino, hic addimus nihil, ibi dictis contenti.
Ad posterius testimonium ex opere contra Faustum, cujus aliquam partem supra jam habuimus, ite-
dem duo excipit, sed infelici iterum calamo, quod ingenuè, uti alias sæpè, *Joh. Launojus*, Sorbonista
Parigensis, in Dissertatione de veteri ciborum delectu in jejunia Christianorum, & maxime in Qua-
dragesimâ agnovit, de Bellarmino, & quæ sequuntur ducem, in hujus loci examine non sine
plurimâ observatione scribens, quod *recentibus Ecclesiæ moribus qualibet Veterum instituta metian-
tur, dumque aliquando suffragium amulis invident, denegent illud Veritati.* Addit, demum veram
esse Bellarmini & sequacium interpretationem, ex eâ certè colligitur, *aliter atque aliter celebrasum*
esse Quadragesimæ jejunium. Nonnullos enim extitisse oportet, qui huic vacantes jejunio à car-
nibus tantum, alios verò, qui non solum à carnibus, sed etiam à quibusdam terræ fructibus abstine-
rent. Deinde, cum ait, *quanto quisque magis vel minus, seu voluerit, seu potuerit,* haud intelligit,
nullam esse specialem legem, seu consuetudinem, quâ hujus antillius regionis fidelis tenerentur, sed
generalis adhuc Ecclesiæ nullam, cui parerent omnes. Post Theodoretii testimonium hoc ipsum
confirmans, duo alia adjicit ex Augustini (vel qui sub ejus nomine leguntur) sermonibus de Tem-
pore, nominatim post Sexagesimam quartâ & quintâ. Ex illâ quidem sequens: *Et illa est in Qua-
dragesimæ diebus grandis utilitas, quod dum etiam à licitis abstinemus, magis admonemur illicita vitare.*
*Quæ enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus licet uti; quæ nos abstinemus à Pino, quo
moderate licet uti; quæ ergo vitamus ista, quæ licent aliquando, in primis peccata fugiamus, quæ nun-**

Coroll.
p. 68.

quam omnino licent. Ex hac autem tale: Cessent lavacra, vina vel carnes, non quod creaturam DEI
judicemus esse damnandam, sed qui toto anno nobis vivimus, saltem vel paucos dies vivamus & Do-
mino. Launo jus subjungit, sic in Africa, qui in Quadragesimæ diebus Vino non abstinebant, non
cenfebantur jejunare, nec ex Augustini verbis adparet, minus cenfebantur non jejunare, quam si
carnibus non abstinuisent. Et quamvis Ecclesiæ Africanæ disciplina hoc tulerit, nunc tamen his
in locis non censetur Jejunium violare, qui in Quadragesima pro potu utitur Vino, etiam si non desit
in sequentibus post plura hisce subnectit: *Non adingo lautitas & exquisita condimenta
quibus & adparati pisces carnibus preferuntur, & nisi lex, ac certe finis Jejunii Ecclesiasticus, sæpe numero
frandatur.* Hæc Ille, Testis & Confessor Veritatis Evangelicæ, uti in aliis, quod ostentum est su-
præ, ita in hac etiam Quæstione satis luculentus, addendus, omnino Testium Catalogo & Confessione
Catholica. Sed pergitur cum Bellarmino, visuri, quas merces ex Augustino ad jejunii fructum &
utilitatem demonstrandam attulerit, nimirum, non nisi suspectas. Provocat iteratò ad Sermonem
de Tempore sexagesimum & secundum, de quo jam supra dictum, quod ea habeat, quæ aliis & alibi
ab Augustino scriptis è diametro repugnent. Nunc addo, quod ipse Bellarminus de alio quodam
sermone inter hos, qui de tempore inscribuntur, sub finem capitis decimi & quinti hujus libri, in cu-
jus examine versamur, monuit, incertum esse, *utrum sit Augustini*, addens insuper, *videri sermones
illos de Tempore, ab aliquo posteriore collectos.* Imò hic etiam prævidit hanc exceptionem Bellarmini-
nus, idèò aliud adduxit testimonium, sed itidem ex tali scripto, de quo dubitatur non inmerito, an
Patrem agnoscat Augustinum, scilicet Tractatu de *utilitate jejunii*, de quo quidem scribit, quod *Possidius*
eum tribuat Augustino, in libro autem de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, inter ea ponit opuscula,
quorum *Possidius* non meminit, quod aliis quoque observatum. Quod sermonem de Tempore
sexagesimum attinet, idem est judicandum, quod de antecedente, vel potius sequente, nimirum *sexagesimo
& secundo*, ut ut quæ in hoc leguntur de *peccatorum indulgentia*, facilius possint habere locum,
si intelligantur de peccatorum pœnis temporalibus, videlicet, si jejunium jungatur ferie peccatorum
pœnitentiæ, quod exemplo Ninivitarum pœnitenter jejunantium & comminationem Divinam eo-
met ipso avertentium satis est cognitum. Et ut iterum ad objectiones Evangelicorum contra lau-
datam jejunii, sed ex Augustino non probatam utilitatem satis factioriam & meritoriam veniamus,
eademque à frivolis exceptionibus Bellarmini liberemus, Monitum Apostoli ad Timotheum de
modico valore Exercitationis corporalis & continuando Pietatis sinceræ exercitio stat adhuc fir-
mum contra id, quod ex Augustino opposuit impertinenter, præterquam, quod ipse Bellarminus in-
validum hoc agnoscens ad aliam verborum Pauli explicationem è *Chrysostomo* provocat, quæ tamen
ipsa à *Cajetano* & *Espeñca* reprobat, quod ab aliis ostensum, ut non opus sit prolixius hic moram
trahere. De altero etiam Apostoli ad Colossenses Monito, ex supra dictis res est clara, & Augustini
authoritate magis confirmatur, utpote qui Paulum *superstitiosè* jejunantes castigasse observans, ho-
diè Papæos ab hac Censurâ non liberaret, si jejuniorum inauditam suo tempore *superstitionem*, quæ
apud eos communiter obtinet, intueretur, nullo videlicet inâdato DEI, sed meris, vel potius impuris
hominum scientiis imperantium traditionibus Ecclesiam quam maxime turbantibus nixam. Ne-
que testimonium ex opere contra Faultum ulteriores requirit vindicias, præter eas, quæ jam scriptæ
sunt, quia responsiones Bellarmini eadem semper. *Regula* Augustini ex opere de Baptismo valuit
illo tempore, quo scripta fuit, utpote quod temporibus Apostolorum fuit aliquantò propinquus;
eam verò ad materiam de jejunio non applicari posse, constat exindè, quia eodem Augustino teste
tempus jejunii eo tempore nondum fuit *definitum*, quasi ab autoritate Apostolica, quod de *uni-
versali* Ecclesia verum esse *Launojus* etiam agnovit. Plus insuper scripsit Bellarminus, quam Au-
gustinus, dum ex enarratione Psalmi post centesimum decimi, vel secundum Ebræos undecimi ejus
verba citat, ac si Quadragesima ab ipso met Christo fuerit *indicta*; cum tamen aliud non legatur,
quam ubi facta fuit mentio numeri quadragenarii, eo & Mosen, & Eliam, & ipsum jejunasse Domi-
num. Sed, aliud est jejunare, aliud verò jejunium indicere. Eadem ratio est testimonii ex Epistola
ad *Januarium*, in quâ & antecedente ad eundem non pauca leguntur, quæ huic instituto possent
contra jejunii præscriptum inservire, nisi filute totius disputationis tandem esset abruptendum, &
hic labor finiendus. Quæ enim porro adducuntur ex Augustino de jejunio *feria quarta & sexta*,
de cujus diversitate apud antiquos, præter alios ex instituto hoc agentes, non ita dudum rariora quæ-
dam observavit *Gothofredus* ad Philostorgium, sicut in genere de variis jejuniorum speciebus ad
Eusebium non pauca notavit *Valesius*, in specie autem de ritibus quadragesimæ non uniusmodi apud
antiquos *Novarinus*, & quod paucis tactum, de causis & rationibus, ob quas Menses Julii & Augu-
sti à jejunii fuerint exempti, ad Concilium Illiberitanum *Mendoza* & *Gonzales*, & qualia sunt plu-
ra, non nisi testimonium præbent luculentissimum manifesta inter jejunia veterum & hodiernorum
differentiæ, quam diligenter observasse non planè nullius, imò maximæ præcium est operæ contra
eos, qui in commendandis hodiè jejunii minime jejunis ad Apostolicam & veterem Ecclesiam au-
dent provocare, à cujus, uti in cæteris, ita in hoc etiam sinceritate ad eò prociis sunt remoti, ut facilius
longè terram Cælo, quam hos illis liceat comparare, agnoscete id ante hoc seculum celebri scripto-
re *Antonio de Guevarâ*, qui postquam commentario in Habacuc ex antiquis Scripioribus & docu-
mentis ostendit, *jejunantes olim Christianos non solum à carnibus, ut in præsens, sed à vino etiam absti-
nuisse*, tandem concludit, *Ecclesiasticam nostri temporis disciplinam, sicum illâ veteri comparatur,*
c. 13: *planius mollem ac laxam esse.* Et quemadmodum Augustinus in opere de *Moribus Manichæorum* delica

p. 423.

p. 106.

in Adagio.

T. II. p. 33.

p. 257.

p. 379.

c. 13.

delicam illorum abstinentiam satis accuratè delineavit, verbis ibi melius, quam hic legendis, ita eruditus, non ignota est querela super intemperante jejunio *Peresi*, quam ex ejus opere de *Traditionibus* ante hoc decennium exscripti in alterà parte *Vindiciarum Anti-Ottomanarum*, adjuncto duplici Epistolio *Aloysii Collini*, Episcopi Bellunensis, de *jejunii nostrorum temporum luxu & saturnitate*, quorum diligens lectio si cum experientia non adeo occultà conferatur, causam admirationis potest præbere esse nimirum homines, qui se non vulgaria Ecclesiæ Christi membra, sed primarios Antislites & fulcra nominare audent, aliisque jejunium quasi rem sanctam, meritoriam & satisfactoriam commendare & persuadere, imò tanquam conscientiæ obligatricem ex lege Ecclesiastica rigorosius urgere & injungere, re autem verà, quantum in ipsis est, jejunium non nisi pro fabulâ & ludo habent, id est, *curios simulanti & Bacchanalia vivum*, hominum oculos, non autem DEI omnia tuentis fallentes. Surgeret Augustinus non ex ore aut inferno, ut antehac *Aristotelem* Ecclesiæ stitit redivivum *Oreanus*, Controversiarum inter Evangelicos & Papistas judicem, sed suis met principiis, uti *Verandanus* ostendit luculenter, contradicentem; surgeret, inquam, Augustinus non ex ore, multò minus ex Purgatorio *redivivus*, ubi fortè secundum aliquos ei adhuc ludandum, quia non in omnibus Fidei capitibus ea scripsit, quæ Romanensis Aulae sectatoribus & parasitis hodiè usque quaque placent, sed è cælo beatorum, ubi inter sanctos Theologi cum invocare solent Patronum tutelarem, terræ filii restitutus, non larvatus, ut ille quondam pseudo-Samuel, apostatæ Regis terror, sed verus, uti quondam Moses & Elias visi sunt, & fortè etiam auditi Apostolis Dominicæ Transfigurationis spectatoribus, videret & audiret jejunatores hodiernos, nunquam magis saturos & multo plenos, quam cum ex lege, cujus observationem aliis violenter obtrudunt, jejunandum esset, multis certè accessionibus repeteret gravamina contra jejunatores Manichæos superius judicata, in cæteris quoque Fidei capitibus & praxi Christianâ videre & audire cogere inter Papæos (qui cum ut sanctum venerantur & colunt, proque ejus autoritate & consensu tam inter semetipsos, quam contra hæreticos, quos impudenter vocant, pluribus libris & maximis voluminibus dimicant, sibi que solis nomen ejus adplicent) omnia planè contraria Doctrinæ & moribus sui temporis, ac non nisi nomen suum à plerisque in ore & calamo usurpari, ægrius ferret, scio, tantam sibi injuriam fieri, invitissimumque se hætenus ad partes adversarias tractum, cum tamen sit & fuerit constans & perpetuus Testis & Professor Veritatis & Fidei Catholico-Evangelicæ, quod quia præfati operi demonstratum est per vires cælitus concessas, quas deprædico gratissimas, & quidem ex ipsismet Augustini scriptis, consentientibus non rarè adversariis, testor hic, factum id esse Ad maximam DEI Trinius Gloriam.

